



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

38 Suspicio violenta seu maxima pluribus casibus oritur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

toribus, notariis, aliisve ministris officij Inquisitionis, vel Episcoporum, id munus in eorum diœcesi, aut provincia obeuntium, seu accusatorem, denunciatores, aut testem in causa fidei, quomodocunque productum, vel evocatum, occiderint, verberaverint, dejecerint, seu perterrere fecerint; quive ecclesias, ædes, aliasve res, sive publicas, sive privatas officij, aut ministrorum expugnaverint, invalerint, incenderint, exspoliaverint; aut libros, litteras, auctoritates, exemplaria, registra, protocolla, exempla, scripturas, aliave instrumenta publica, sive privata, ubicunque posita, combusserint, diripuerint, seu interverterint; seu ex incendio, vel direptione, aut alia quocunque modo illa exportaverint; quive carcerem, aut aliam custodiam publicam, seu privatam effregerint; vinculum extraxerint, seu emiserint; capiendumque prohibuerint, captumve eripuerint, receperint, occultaverint, seu facultatem effugiendi dederint, seu id fieri jussuerint; sive alias auxilium, consilium, vel favorem publicè, vel occultè, in quolibet prædictorum scienter præstiterint; licet nemo occisus, nemo verberatus, nemo extractus, emissus, vel ereptus, nihil expugnatum, nihil effractum, incensum, direptumve, nulloque damnum re ipsa sit sequutum; nihilominus ij anathemate sunt ligati, & læsæ majestatis rei in primo capite sunt damnati, aliasque pœnas incurrunt, de quibus in constitut. p. v. si de protegendis, in Bull. roman. cap. 33. & Pegna in Direct. Inquisit. comment. 79. vers. sic tales, & plures alios casus vehementis suspicionis docet Direct. Inquisit. ead. quest. 56. & ibi Pegna comment. 81.

38 Violenta, ¶ autem, seu maxima suspicio

est multimoda. Et primò, illa, quæ dicitur juris, & de jure, contra quam regulariter, & directè non admittitur probatio, c. si qui fidem, de sponsal. Felyh. in cap. quanto, numer. 3. de presumpt. & Alciat. par. 2. numer. 4 & 5. eodem tit. Nam pluribus casibus oritur violenta suspicio infidelitatis; Primò, contra transeuntes ad ritus Judæorum, se circuncidendo, vel ad ritus Saracænorum, aut aliorum quorumvis infidelium, cap. contra Christianos, de heret. in 6.

39 Secundò ¶ est, cum citatus ad respondendum de fide, uti suspectus in ea, qui non comparuit, & excommunicationem per annum animo sustinuit indurato, quia anno elapso, veluti violenter suspectus, uti hæreticus damnatur, c. cum contumacia, de heret. in 6. Et tunc non admittitur probatio in contrarium, quia pro convicto habetur, arg. text. in cap. rursus, & c. quicunque, 1. 1. qu. & facit gloss. fin. in d. c. cum contumacia.

40 Qui enim ¶ relabatur in hæresim, quam abjuraverat in genere, vel in specie: ex relapsu præsumptione juris, & de jure pertinax hæreticus est judicandus, c. ad abolendam, §. hos quoque extr. de heret. cap. super eodem & cap. accusatus, §. cum verò, eodem tit. in 6.

41 Præterea, ¶ qui post abjuratam hæresim, de qua convictus fuerat, vel postea convincitur, cum hæreticis communicat, eos visitando, receptando, deducendo, associando, dona vel munera eis donando, vel mittendo, dict. cap. accusatus, §. ille quoque, & Pegna in Direct. Inquisit. comment. 24. vers. qui post. par. 3. ubi plures alios casus ponit, per totum. Et generaliter signa, quibus hæretici, aut de fide suspecti detegun-